

F43

B. C. D.
EX
PRVDENTIA MORALI
DE
VOLVNTATE,
EFFECTIVO ACTUUM MORA-
LIUM PRINCIPIO,

POSITIONES,
PRAESIDE
VIRO NOBILISSIMO, AMPLISSIMO, atq; EX-
CELLENTISSIMO,
DN. CHRISTIANO
Röhrensee/
Philosoph. Pract. Prof. P. longè celeberrimo,
& Alumn. Elect. EPHORO gravissimo &c.
PATRONO, AC PRAECEPTORE SVO

piè devenerando,
publicae ventilationi exponit
M. SALOMON DE ZENZIG/

Lengenfeldâ - Var.

A. & R.

Die IV. August. A. R. S. M. DCC.

IN AUDITORIO MAIORI,

H. C.

VITEMBERGÆ, Typis JOHANN. WILCKII, Acad. Typogr.

Coll. diss. A
214, 4

Diss. A. 214. (4)

~~46~~ ~~47~~ ~~48~~



IN NOMINE JESU !

TH. I.



Icet ratio innato juxta ac advenante, corusca lumine, volendi vim collustret, objecti eidem bonitatem vel pravitatem exponat, svadeat etiam quid appetendum, amoliendumve sit: non alias tamen obit partes, nisi illas, quae virtuti causae inferioris respondent. Contra voluntas in productione actuum moralium causae efficientis principalis munere in solidum fungitur.

II.

Quantò magis verò, constat tolli saepe actus, nec semper inesse, tanto minus asserendum erit, non pro facultate, sed actu voluntatem accipi.

III.

Est vero voluntas appetitus animae rationalis, quò liberè fertur in id, quod ratio bonum judicavit, ac averfatur, quod ista tanquam malum apprehendit.

IV.

Eò minus verò de objecto, in quod voluntas fertur, disquirendum anxie est, quò clariùs ex dictis uterque ejus elucescit actus, quò bonum prosequitur, vel malum averfatur.

V.

Si autem ad alterutrum duntaxat actus genus, appetitum videlicet, mentis abducis aciem, bonum solum deprehendis, sive ἀληθές illud, quod primum est, sive Φαινόμενον tantum sit, quod secundarium, parùm refert.

VI.

Et duplici agendi vi praemunitam esse voluntatem, quã partim ut natura, nonnunquam etiam ut liberum operatur, & utram-



utramque in producendo actu morali exercere, arbitramur.

VII.

Hoc minus proinde in dubium quis vocabit ejus libertatem; quò magis liberae ejus actiones vel coecorum feriunt oculos.

VIII.

Sedem uti aliam libertati, nisi voluntatem, assignare non possumus, sic rationem, in eum dignitatis gradum vulgo elevatam, inde penitus deturbatam volumus.

IX.

Quapropter rationem libertatis esse radicem, falsum: determinare voluntatem, absurdum: plenè proprièque illi imperare, figmentum est.

X.

Coactionis injuriis uti nunquam subjacet voluntas, sic iisdem etiam exemptam semper volumus.

XI.

Posse verò eandem minus, posthabito majori, pro ea, quàm pollet, libera eligendi vi, apprehendere bonum, ratio non minus, quàm evidens rerum evincit usus.

XII.

Quò minus etiam libertate exspoliari potest voluntas, eò persuademur magis, non differre ab ea liberam agendi vim.

XIII.

Hinc utut inclinetur in certas actiones, vel per acquisitam agendi promptitudinem, quam habitum appellamus; sive aliorum ab affectuum abripiatur intemperie; sive sensuum alluciatum atque attrahatur blandimentis; sive ab alio, quodcunque demùm illud sit, vel internò, vel externò excitetur ad aliter agendum principio: tantùm tamen abest, ut libertatis dote exuatur, ut ejus potius *σείρα* trabali veluti clavo, praecluso quamvis usu, quàm altissimè eidem sit maneatq; infixæ.

XIV.

Ceterum ut ratio homini velut arbiter praesidet, ac quid

fit faciendum, monet, ita voluntas ea liberè exequitur, si non
immediatè, at mediantibus certè subjectis sibi potentiis, quas
ad agendum applicat. Quam ob rem, tametsi pleno, aliquali ta-
men & partiali imperandi jure defraudanda non est.

XV.

Ipsi enim intellectui imperare voluntatem cum ratione
exercitii, tum ratione specificationis nonnullorum actuum,
evictae juxta atque confessae est veritatis. Quò inferioris au-
tem dignitatis sunt animae sensitivae facultates, eò magis af-
firmandum est, singulas & quàm cognoscimus, & quàm, excitato a
sensuali cognitione appetitu, ducimur, & quàm tandem de loco
nos movemus, ipsius subesse dominio.

XVI.

Animae vegetantis denique vires, utut subducere se vi-
deri poterant voluntatis imperio, ita tamen nondum excussere
jugum, utne indirectè quidem & *συμβεβηκότως* saltim volun-
tatis pareant impulsui.



Coll. diss. A. 214, misc. 4